

3083

C O D I C E S

3084

DCCCLV.

DCCCLVI.

755 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 108. 8. caractere fat luculento nigro rubroque scriptus hunc titulum praefert: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis incipit breuiarium ordinis hospitalis ierosolimitani.* Initium ducitur a sabbato in aduentu domini ad uesperas. Per totum decursum Dicenda primis duntaxat uocibus indicantur, plurimisque Rubricis interspersa sunt; adnotantur etiam *Missae. Fol. 78. p. 2. post Festum SS. VII. Fratrum die 10. Julii* ponitur Officium in liberatione sancte ciuitatis ierusalem, ubi ad marginem inferiorem alia manu sequens *Invitatorium* adscriptum est: *Filie syon currite adfunt enim celebra matris uestre sollempnia iubilemus igitur deo nostro unanimes qui sibi eam gratuita elegit clementia. Item Oratio. Omnipotens sempiternus deus edificator et custos ierusalem ciuitatis superne custodi locum istum cum habitatoribus suis ut sit in eo domicilium incolumitatis et pacis. P. D.* Hoc Officium sequens excipit Rubrica: *Eodem die dedicatio dominici sepulchri. quam sollempniter celebramus.* Et nihil amplius, sed statim: *Sancte Praxedis uirg. &c.* Ad calcem: *Explicit breuiarium ordinis sancti iohannis baptiste.* Adhaeret tamen *Collectarium* sine titulum.

729 Codex membraneus lat. quem e characterum forma facile uetustiore credas, sed Sec. XV. Folior. 490. 4. nitidissime perscriptus, et literis initiorum picturatis deauratisque speciosus Officium divinae Psalmodiae, vulgo *Breuiarium* exhibet, in quo praemissa de ordinando Tempore ecclesiastico, ut solet, institutione sequitur *Calendarium.* Comparat in eo mense Febr. *Translatio sancti Augustini*, Apr. *Translatio sancte Monice*, Majo *Conuersio beatissimi patris nostri Augustini*, et *Sancte Monice*, Aug. *Sancti Augustini cum Octava*, Sept. *Sancti Nicholay de tollentino.* Praeterea fol. 386. Horis de S. *Augustino* inscriptum est: *In solemnitate beatissimi patris nostri Augustini*, atque haec omnia minio. In usum itaque Ordinis *Augustiniani* scriptum est istud *Breuiarium*, et en tibi fol. 89. eleganter florido et deaurato depictam habitu huius Ordinis effigiem Librariae, quae ductus *Literarum* uetustiores scite imitata celebrioribus *Mulieribus καλλιγραφως* accenseri potest. Circumfluit illam Fasciola inscripta: *Ancilla Ybesu Christi Maria Ormani Filia Scripsit M^o. CCCC. L. III.* quem annum in calce *Codicis* repetitum male feriat quispiam corrupit, ut mox dicitur. Parthenonem quendam *Italiae* incoluisse *Mariam* nostram liquet e ratione scribendi mensem *Majum*, qui semper *Madius* (Maggio) audit, atque Parthenonem illum

3085

LITURGICI.

3086

illum in ditione *Bononiensi* fitum
fuisse mihi suadet *Festum Sancte*
Reparate Virginis et Martiris in
Calendario ad diem 8. *Octobris*

minio expressum, quae *Virgo*
apud *Bapt. Mantuanum Pastor.*
L. 10. ita loquitur:

Caesariensis eram vivens; post fata cadaver
Venit in arva meum Fesulis subiecta, cubatque;
Qua Tuscus decurrit aquis torrentibus Arnus.

Calci Libraria Viros imitata sub-
scripsit: *Qui scripsit scribat. et*
semper cum domino uiuat. Uiuat
in celis in suo nomine felix. Qui
legentium orationes pro merito ka-
ritatis exposulat. Anno domini.
M^o. CCCC^o. LIII. (quod ulti-
mum manifeste corruptum est,
subposito LXXX.) *die uigesimo*
quinto mensis Madij. Deo gratias.
Amen.

DCCCLVII.

790 Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 206. 8. eleganter
exaratus, Iconibus picturatis 6.
et variis initiorum literis auro,
coloribusque illis visendus con-
tinet Psalmodiam Chori ferialem,
praemisso Calendario et ducto a
Die dominica initio. Litaniae OO.
SS. primis foliis a recentiore ma-
nu adscriptae ad *Bobemiam* per-
tinent. Sed et totum *Codicem* il-
luc pertinere, e sequentibus fit
manifestum. Rubricae Horarum
plerumque germanicae sunt. Ita:
ze Terze. ze Sexte. ze None. ze
Vesper. Also sprich des suntages.
Des mantages Mettiu &c. Verum
a fol. 54. Psalmis et Precibus
frequenter alia manu interiectae
sunt Formulae eroticae, quibus

non erat hic locus. Videlicet; *Kat-*
russye ma myla. Quasi dicas: *Ca-*
tharinula mea Dilecta. Ma myla
zmylelyczko zblediolo twe lyczko.
Mea cara Dilectula! impalluit
tua faciecula. Tyelo mlado Srdczé
wesselo. Corpus juvenile Cor hi-
lare, et similia bellaria, quae ab
importuno quodam sacrae Virgi-
nis Proco infarcta putem. Fuisse
enim *Breviarium* istud scriptum
in usum antiquissimi Parthenonis
S. Georgii in *Castro Pragensi* de-
monstrant ultimae duae Icones,
quarum prior B. Virginem exhi-
bet adgeniculante Antistita pedo
instructa, infra quam *Aquila Ko-*
lowratiana, altera *S. Georgium*
adstituto ei itidem genu flexo Ca-
nonico palliolo pelliceo humeros
tecto. At vero Parthenoni huic
ab a. 1363. *Elisabetham*, ab an-
no vero 1387. *Cunegundem*, ut-
ramque illustri *Kolowratorum* stir-
pe prognatam praefuisse disco e
J. Flor. Hammer Schmidtii Histo-
ria hujus Parthenonis edita *Pra-*
gae 1715. 4. p. 96. et ex ea-
dem p. 4. adfuisse sacris Virgini-
bus *Canonicos*, quorum, qui Pres-
byteri erant, in die OO. SS. pro
Superpelliceis decem Grossos re-
cipiebant. Quod si quis illo Ca-
nonico repraesentari velit *Ho-*

O O 2

stis-